



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

§. V. Dubitatio affectata numquam excusat à crimine, sed potiùs malam
animi affectionem arguit. Quid dicendum sit de eo, qui varios stauit
consulere, donec opinionem sibi fauentem inuenerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

bi fit, vota conceptis à te verbis esse emissa, prudenter autem semper præsumatur, id quod actione externâ fit, legitime fieri; præsumendum est proculdubio, te mentem intentionemue habuisse obligandi te, nisi contrarium tibi constet planè & liquidè; id autem sic non constat, quamdiu dubitas. Idemque cum de matrimonii initi, aut promissionis, aut fidei datæ, aut donationis mente aut intentione dubium inciderit, pro pacti valore ferendum est iudicium.

45. Si verò de ipsâ promissione aut donatione, an facta sit, aut de fide an data sit, dubitetur, iis dubitans non tenetur. Stat enim pro suâ libertate manifestâ iuris præsumptio: nempe quod *Factum in dubio non præsumatur sed demonstrari debeat.* An non etiam exinde consequitur, dubitantem an peccatum aliquod commiserit, sese à peccato posse absoluerè, & statuere non commississe? Verùm id discutiemus deinceps Tractatu 11.

Dubium de facto, facti obligatione non tenetur.

46. Plurima adhuc sunt quæ de iuris præsumptionibus dici possent, & in dubiis quæstionibus, Conscientiæ ritè dirigendæ applicari. Verùm cum de iis, libro penè toto quem de Conscientiâ conscripsere, uti fusilissimè ita & acutissimè, nuper disputarint Franciscus Bardi, & adhuc recentius Ludouicus de Scildere, nihilque reliquerint intactum quod tum interno, tum externo foro possit esse usui, manum de tabulâ tollo, hæc quæ passim occurrentibus dubiis dirigendis poterunt deferuire, utcumque delibasse, & alio modo demonstrasse contentus.

§. VI.

Dubitatio affectata numquam excusat à crimine, sed potius malam animi affectionem arguit.

Quid dicendum de eo qui varios consulere statuit, donec opinionem sibi fauentem inueniat.

47. Illud tamen in toto hoc rerum sententiarumque complexu, sedulò est adinaduertendum, nihil quidquam Conscientiæ ritè efformandæ adminicula hæc prodesse, nisi verè dubia sint ea, de quibus pro Conscientiæ tribunali disceptatur; & quorum manifesta

Affectata ignorantia numquam excusat à crimine

fecta veritas ignorantia inuincibili & prorsus inculpatâ, dubitantem latent. Plurimos etenim est inuenire, qui minimè dubia in jus vocant, veritatisque declinant lumen, distorti merâ malè agendi lubentia. Hos sanè neque juris præsumptio, neque possessio quidquam iuuant, cum malæ fidei sit; quandoquidem in animo habeant jam præstitutum, nullum, aut certè desultorium adhibere studium, vt veritatem rei assequantur; tenebrisque inuolui malunt, ne ea scire contingat, quæ potius amant ignorare.

ea oritur 1.
ex merâ ne-
gligentiâ.

Et hi quidem in triplici sunt differentiâ. Primò enim, ex merâ nonnulli & supinâ negligentia ignorantes sunt, vt quibus de salute animæ, actionumque suarum, honestæ an sint an inhonestæ, admodum parua est cûratio. Et vt Seneca rectè de hoc hominum desidio genere conqueritur, *Itur quâ itur, non quâ eundum est*: his, modò videantur homines frugi & honesti appetentes, neque palam criminis possint argui, perinde est quid demum sint. Agunt res suas, sed non vt agendæ sunt: & ne errorem dedoceantur, sacras conciones fugiunt; ne verò à suâmet Conscientiâ arguantur, dubitare malunt quàm scire, vt paratam habeant quam allatranti Conscientiæ offam objiciant, eamque sic compescant, ne admordeat.

48.

2. ex arro-
gantiâ.

Alii ex merâ etiam arrogantia ignorantes sunt, vtpotè quos pudeat alium à se consulere, suoque malint errare iudicio, quàm sapere alieno. Nihil ipsis verum est, nisi quod videtur. Atque hæc hæreticis, iisque qui parum modestè & sapiunt & de se sentiunt, familiarissima est ignorantia, quæ nonnisi ex peruicacitate iudicii, nimiâque sui-ipsius adulatione trahit originem.

49.

3. ex nimio
erga res ca-
ducas affe-
ctu.

Aliorum denique ignorantia, ex inordinato atque ultra iustum exorbitante erga res caducas affectu oritur. Horrent enim verò indagare ea, quæ restituendi malè acquisita & peius possessa obligationem inducerent. Et quia toto animi nisu bonis incumbunt, nihil quod fallacem hanc miseramque possessionis tranquillitatem interturbare possit, ne ad aures quidem, nisi cum fastidio admittunt. At, an hosce ignorantia inculpatâ & inuincibili laborare quis dixerit, quam ipsum ignorandi studium, manifestè arguit affectari? Profectò rei tenentur criminis, quod sese velle committere, tam peruersâ fide dubitando profitentur.

50.

Sed

51. Sed quid de iis statuendum est, qui, si aliqua menti incidere dubitatio, varios quidem consulunt tum Theologos tum iuris peritos, eo tamen consilio ut non ante destituri sint, quam donec in aliquem incurrerint, qui grata nuntiet, & ea quæ prorsus faueant dubitanti? Nauarrus certè & Adrianus illicite id plane fieri contendunt. Neque verò dubitandum id est, si eâ mente deliberatio tota instituitur, ut quamcumque demum opinionem amplexurus sit consulens, modò sibi faueat; nec quidquam curet, probabiline nixa sit fundamento an improbabili, aut etiam falso. Nimis enim id est euident, fide peruersâ hîc agi: & de simili consultatione iam laudatos auctores agere, mihi fit credibile. Verùm si tota per varias domos, opinionumque decursatio, eo animo instituitur, ut sibi fauens quidem, sed probabilis occurrat sententia; illudque sibi præscriptum habeat, non alteri quàm quæ verè probabilis sit acquiescere, non video cur vitio vertenda sit tali studio instituta consultatio. Approbant eam sanè vterque Sanchez, Bresserus, Baldellus, Bardus, alique Theologi præstantissimi. Et quidem ratio quam afferunt est manifesta. Prout enim vnusquisque ius habet, ut quærat, protegatque res suas, libertatemque sibi factam seruet; ita & ius habere dicendus est, ut eos quærat, qui in iustâ sui defensione manum præbeant, & iustè patrocinentur. Patrocinium autem quod ex probabili opinione petitur, iustum cum sit semper, certè malæ fidei condemnandus non est is, cui non aliud quærere est constitutum.

*Licium est
tamdiu
varios con-
sulare, do-
ne: inue-
niatur sen-
tentia sibi
fauens, sed
probabilis.*

Sanch. l. 1.
in præc. c.
9. n. 24.
Io. Sanch.
in sel. disp.
44. n. 54.
Bress. de
Consc. l. 3.
c. 6. n. 28.
Baldel. de
Con. disp.
12. n. 2.
Bard. de
Con. disp.
4. c. 19.

52. Istud tamen dissimulandum non est, periculosa plenum opus esse alex. Imprimis enim verendum est, ne nimio & effrænato res tuas conseruandi, aut alienas adipiscendi abreptus desiderio, rem prout est, consultori non proponas; circumstantias omnes non exhibeas; rationes quæ pro te stant, ultra verum exaggeres, reticeas verò quæ causæ tuæ officiant. Hoc autem si sic agitur, quid quæso nisi vanum, Conscientiæ tam malâ fidei agenti, à consultorum responsis expectas adminiculum?

*Illicitum
verò, si ca-
sum non
bonâ fide
exponas.*

53. Deinde quam quæso affectatæ ignorantæ excusationem potes prætexere, si homines consilii causâ adeas, aut illiteratos & hebetes, aut quod longè deterius est, improbos & ad fraudem factos? venales, inquam, animas, quorum vita est pecunias emungere, & quorum Conscientiam in tuâ fers crumenâ? An quidquam bonæ rei ab eiusmodi hominum quisquiliis, ratione bonâ

*Pessimè fi-
de agunt
qui spontè
improbos
consultant.*

¶ senten-
tias sibi fa-
cientes auro
venantur.

potest expectari? Ut quid igitur eos consulis, nisi quòd ames decipi? An verò id etiam negabis, si aurum offers, si beneficia promittis, si loculorum strepitu sententiæ expectatæ præludis, eamque ex reconditoribus scriniis auri nidore delitescentem elicias? Hoccinè est veritatem inquirere an fugare? Veritas ore petitur, & manu quam aurum prægrauat, fugatur. Consilium exquiritur, & quod dandum est, in crumenâ cuditur & fabricatur. Ostenditur quòd consultori placeat, vt quæ placitura sint referantur. Ludicra censentur hæc, at penè quotidiana sunt cauillatorum quorundam artificia, quibus volupe est alienæ paci negotium facessere. Hinc nescio quos iuris apices titulosque sedulo venantur, vt aut debita iusta denegent, aut solutionem differant, aut etiam pacatæ possessioni alienæ insipientur; titulifq; tam inanibus à iuriconsultorum, quorum sententias nundinantur, opinionibus, stolidum sanè sibi postulant adminiculum. Hoc autè si consequantur, tum verò litem intentant, actionem instituunt, innocentium res domosq; euertunt; & iustitiæ consequendæ prætextu, falsis denuntiationibus, actis, & testimoniis, iudicium perstreperunt subsellia.

Tales ex-
crabiles
sunt Deos;

At si ludicra hæc videntur, & artis esse dixeris, sententiis ita extortis sibi ablandiri, & illudere; audiant sanè quam grauibus acerbisque verbis, Conscientiæ suæ illufores, & alienæ aureos præstigiatores Deus ipse, per Prophetam Isaiam insectetur. *Populus*, inquit, *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite nobis aspicere ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: auferre à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostrâ sanctus Israël.* Non poterat sanè mens & peruerfitas sic consulentium, luculentiùs describi, & clariùs exprimi. Verùm audi nunc loquentem, & sensum animi sui proferentem Deum. Propterea hæc dicit Sanctus Israël. *Pro quòd reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniâ, & tumultu, & innixi estis super eo: propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens subito; dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur sicut conteritur lagena figuli, contritione perualidâ; & non inuenietur de fragmentis eius testa in quâ portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fonte.*

¶ inopiã
etiam sa-
pissimè ca-
siganur.

Fit enim sapissimè, pœnas affectatæ ignorantie exigente Deo, vt qui talia sibi consilia dari postulant, quibus alieno iuri insidientur

54.

Isai. 30. v.
9. & seq.

55.

dientur, aut sua propugnent malè, incidant non tam in cauffidicos aut juris-peritos, quàm in cauillatores, & rabulas, quibus, cùm in turbato mari luculentissima sit piscatio, nihil etiam ita in votis est, quam causas agere quantumuis pessimas, & in causis alienis, suam rem. Hinc cum vident litium semina anxie exquiri, clientisque futuri crumenam auro turgere cùm persentiscunt; si vel minima sese ostendat quantumcumque caduci iuris species aut rima, illicò exclamant actam esse rem, nihil in toto iuris corpore esse liquidius, causaque iam centies Senatus-consulto præiudicatum esse. Tali fundamento lis superstruitur; erigitur ingens moles, magnis sanè impendiis; crescunt chartarum volumina, crescunt curæ; diminuitur interim æs domesticum, totumque per ruinas in consultoris domum confluit. Denique post multa, corruiat tota res iudicis sententiâ, & suo inuoluitur miser lapsu. Comminutæ sunt opes malè impensæ, æs contractum est quod non nisi hæreditate benè pingui distractâ dissoluitur. sic omnia abeunt in ruinas, *Et non inuenietur de fragmentis eius testa in quâ portetur igniculus, ex alieno petitus foco, aut haueratur parum aque de fonte, quâ miser extinguat malam sitim.* Justum profectò iudicium Dei, vt qui per ignorantiam affectatam, & dubia iura studio conquisita, insidiabatur alieno, suis excidat; & ab iisdem spoliatur harpiis, quarum vngues & rostra, in luctus & miserias obarmauerat alienas.

56.

Istud tantùm dolendum est, dubia iura malâ fide cùm mouentur, in actoris solius caput impensas omnes non deuolui. Certum est enim, vt cumque ius suum possessor bonæ fidei tueatur, & verò etiam iudicis sententiâ obtineat, multis tamen eum & curis & impensis implicari, quas numquàm non graue est ferre, & expungere. Ac proinde non video ego, quo pacto dubia prorsus iura, & quæ saltem probabili fundamento nixa non sunt, tutâ Conscientiâ quis possit actione apud iudicem institutâ exigere; & tanto ære, quod proculdubio in caussidicos, aliaque juris adminicula vtrinq; est effundendum, certo damno eum afficere, qui certâ gaudet rei suæ possessione, & dubio tantùm iure potest impeti. Ignorantiam hîc obtendere maligni est animi, & quæ non nisi maleuolis approbetur, Deus interim non irridetur, *qui Et illuminabit abscondita tenebrarum, Et manifestabit consilia cordium, justus Dominus, justus iudex. Et sanctus in omnibus operibus suis.*

Nefas ex dubio iure certam litē possessori bonæ fidei insensare.

1. Cor. 4.
v. 5.
Psal. 144.
v. 13.

C C 2

TRACTA-